



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXVI. Argumentum. Probatur, esse Usuram vendere triticum determinato pretio post certum tempus solvendo; sed cum pacto, ut tempore solutionis possit venditor tenere, vel triticum ad sui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

14. *quæst.* 3. 4. & 5. nec non *Tir. De Usuris in Decret. in Sexto, & in Clem. quibus addendæ sunt Const.* 79. *S. Pii V. & Const.* 45. *Sixti V. Summ. Pontific.*

Jus Civile consonum est à tempore Justiniani Imperatoris, ut notat Reginald. d. lib. 23. num. 48. & docet Bald. in l. *Improbum & ibi Salycet. & Paul. de Castr. ff. ex quib. causis infam. irrogetur.* Marquard. de *Judaïs cap. 11. Jul. Clarus §. Usura num. 4. ac alii, quos cumulat Jacobus Pignatell. dict. tom. 4. Consult. 75. num. 19. & probat Scaccia de *Commerc. §. 1. quæst. 1. num. 401. & quæst. 7. part. 2. num. 43. 44. 45. & concordat Tacit. lib. 5. Annal. quem refert Thom. Garzoni in Platea Vinu. Disc. 65. ubi etiam Cato de Re Rustica ait: Majores nostri hoc habuerunt, & ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnare, feneratorum quadrupli.**

Jus Venetum refertur à Lauren. Priori in sua *Praxi Criminal. tit. de Usuris pag. 187. ubi plurima allegantur Decreta Excell. Senatus insurgentis contra Usurariam pravitatem.*

Jus tandem Municipale Patavinum habetur in *Statutis pag. 94. sub Rubric. De Alienat. & Obligat. ubi sic: In odium Usuraria pravitatis statuimus, & ordinamus, quod aliquis de cætero non debeat feneratori, seu mutuare ad Usuras aliquo modo per se, vel interpositam personam; & quicumque contraxerit, condemnatur ad perdendum, & perdat ipso jure, & facto totam veram sortem, & quicquid exinde habere debuerit.*

D E C I S I O XXVI.

A R G U M E N T U M.

Probatur, esse Usuram vendere triticum determinato pretio post certum tempus solvendo; sed cum pacto, ut tempore solutionis possit venditor tenere, vel pretium, vel triticum ad sui beneplacitum.

S U M M A R I U M.

1. *Usura quomodo, & quando committatur in mutuo?*
2. *Mutuum quando esse dicatur?*
3. *Mensura grani tot restituenda, quot mutuata.*
4. *Obligatio eo modo dissolvitur, quo fuit contracta.*
5. *Pacto de retrovendenda re venditori eodem pretio, an sit licitum?*
6. *Usura non est pacisci quod est de Justitia debitum.*
7. *Pretium rei taxandum juxta tempus contractus.*
8. *Usura est expectare plus, quam sit datum.*
9. *Obligatio pretio æstimabilis non imponenda mutuatario.*
10. *Æqualitas servanda in contractibus.*
11. *Valor rei augetur Domino ejus.*
12. *Venditor ob dilatam solutionem pretii an quid recipere possit?*
13. *Differentia inter forum fori; & forum poli.*
14. *Debitor in alternativis habet electionem.*
15. *Pretium rei ubi firmatur, ibi mutuum esse non potest.*

Antonius mutuo recipit modia quatuor frumenti à Francisco, mense Octobri, quo venditur ab omnibus Ducatis decem pro modio; & hoc pactum faciunt, ut mense proximo venturo Augusto restituat vel ipsa modia quatuor frumenti, vel Ducatos quadraginta, ad electionem ipsius Francisci. *Quæritur An licitè faciant?*

Visus est omnibus casus iste ambiguus valde. Plures argumentati sunt, Franciscum licitè contraxisse, quia vel fecit, contractum Mutui; vel Venditionis tritici credita pecunia; In neutro contractu videtur adesse Injustitia. Ergo in neutro intervenit Usura. Minorem probant, stando in contractu Mutui; ex seqq.

Primò, Tunc in mutuo committitur Usura, quando recipitur aliquid ultra sortem, l. *Rogasti §. si tibi ff. Si cert. per. Fagnan. in Cap. Naviganti numer. 42. de Usuris.* Sed si Franciscus eligat restitutionem quatuor modiorum frumenti nihil eligit supra sortem; nam quatuor modios & ipse mutuo tradidit. Ergo nullam committit Usuram.

Secundò, Mutuum est contractus, quo rem nostram in numero, vel pondere, vel mensura consistentem damus alteri, ut ille tantumdem ejusdem speciei nobis restituat. l. *Mutuum ff. eod. & in Instit. Quib. mod. re contrah. obli. in princ.* Sed dum Franciscus eligit quatuor modios frumenti mense Augusto, eidem tantumdem ejusdem speciei restituatur. Ergo licitè facit.

Tertiò quando quis mutuavit rem ad mensuram, sive ejus valor crescat, sive decrescat, tot mensuræ sunt restituendæ mutuatori, quot receptæ fuerunt à mutuario. *Sot. de Just. & Jur. lib. 6. quæst. 1. artic. 2. Layman. lib. 3. tr. 4. cap. 16. num. 14. Tamburin. de Triplici Jur. lib. 9. cap. 1. §. 2. num. 7. Scaccia de *Commerc. §. 1. quæst. 1. num. 415. & Leotardus de Usuris quæst. 17. num. 3.* Sed Franciscus mutuatur dedit modios quatuor frumenti Antonio mutuatario. Ergo ab isto potest quatuor itidem modios repetere.*

Quartò, Obligatio eo modo dissolvi potest, quo fuit contracta. *lib. 36. ff. de Reg. Jur. l. 1. C. Quando liceat ab empr. dissol. Sed obligatio Antonii inita fuit receptione quatuor modiorum frumenti. Ergo eorumdem restitutione obligatio est dissolvenda.*

Quintò, Stando verò in venditione tritici, probatur minorem propositionem ita. Licitum est vendere rem suam cum hoc pacto, ut Emptor teneatur illam retrovendere venditori eodem pretio, & ipse venditor possit eodem pretio illam recuperare. *Cardinal. Tuschus tom. 6. Concl. 25. Bonacina tom. 2. de contractib. disp. 3. quæst. 1. punct. 3. num. 14.* Sed in nostro casu Franciscus repetendo quatuor modios frumenti ab Antonio, illos redimit eodem pretio, quo illos ipsi tradiderat. Ergo nullam committit Usuram.

Sextò, Tandem ille non committit Usuram, qui paciscitur id, quod sibi ex justitia debetur. *Molin. de just. & jure disp. 303. 304. & 309. Bonacina d. disp. 3. quæst. 3. punct. 3. num. 15. & Reginald. in Praxi lib. 25. num. 191.* Sed Antonius ex justitia debet vel quatuor modios tritici, vel ducatos quadraginta, prout ab initio valebant. Ergo quicquid Franciscus ab eo petat, justè petit, & non committit Usuram.

Septimò, Quando res venditur pecunia credata, & solutione dilata, rei valor potest taxari, qualis est tempore contractus, & rei consignationis. *Tambur. d. lib. 9. cap. 1. §. 2. num. 10. & lib. 8. in Decalog. tract. 3. cap. 7. §. 6. per totum.* Sed in nostro casu pretium frumenti

menti taxatum fuit juxta valorem, qui ab omnibus solvebatur tempore contractus, & traditionis. Ergo si Franciscus petat etiam valorem frumenti, id est Ducatos 40. nullam committit Usuram.

His tamen non obstantibus contrariam ferē omnes DD. Parochi, & Confessarii amplexati sunt sententiam; scilicet Casum propositum esse illicitum ex pluribus, & præcipue ex sequentibus rationibus; consistendo tam in contractu mutui, quam in contractu venditionis, Nam

8 Primò, Ibi est Usura, ubi plus, quam datum fuerit, expectatur. *cap. Si feneraveris. cap. Putant. cap. Plerique & cap. Usura. l. 4. q. 3.* Sed in casu proposito Franciscus plus, quam dedit, expectat; nam si tritici valor venerit ultra Ducatos 40. exiget triticum; & sic plus accipiet, quam sit pretium firmatum tempore contractus. Si verò valor decreverit, peret Ducatos 40. & sic plus, quam sit pretium ipsius tritici restituendi. Ergo in utraque electione Franciscus Usuram committit.

9 Secundò, Quotiescunque mutuuario imponitur obligatio pretio æstimabilis, committitur Usura. *Reginald. d. lib. 25. num. 178. Molina disp. 309. num. 7. & Bonacina de contract. d. disp. 3. q. 3. punct. 3. num. 6.* Sed in hoc casu Franciscus imposuit Antonio obligationem pretio æstimabilem; ea ratione, quia, si Mense Augusto triticum minoris valuerit, quam Ducatis quadraginta, tenebitur solvere dictos 40. Ducatos; at si majus fuerit pretium, arctabitur emere triticum, ut tritici modios quatuor restituat. *Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 14. vers. Dico secundo.* Ergo committit Usuram.

10 Tertiò, Ad evitandam Usuræ malitiam, debet æqualitas servari in contractu, ita ut periculum ascensus, & descensus valoris rei mutuatæ sit æquale inter mutuatorem, & mutuatarium; emptorque & venditor æqualiter expectent commodum, & incommodum ob dilatatam pretii solutionem. *Molina de just. & jur. d. tom. 2. disp. 311. Fagnan. in d. cap. Naviganti num. 28. 31. & 52. & ibid. Gloss. & Abbas num. 6. de Usuris. Bonacina de Contract. d. disp. 3. q. 3. punct. 3. num. 20. & Scaccia de Comm. d. l. 1. q. 1. num. 404.* Sed in proposito casu non servatur æqualitas; quia Franciscus sibi soli reservat commodum ascensus, & descensus valoris tritici. Ergo committit Usuram.

11 Quartò, Valor rei, si augeatur, Domino augeri debet. *cap. Naviganti de Usur. Tambur. de Tripl. jur. lib. 9. cap. 1. §. 2. num. 3. & Molina disp. 366. num. 7.* Sed Mense Augusto Antonius est dominus tritici. Ergo si ejus valor augeatur, ipsi Antonio augeri debet, non autem Francisco.

Quinto, Si venditor ob dilatatam solutionem pretii rei venditæ sperat aliquid ex cursu, & lapsu temporis ultra dictum pretium recipere, committit Usuram, & contractus emptionis, & venditionis transit in Mutuum palliatum. *Abbas cons. 5. num. 3. part. 1. Glossa ult. in cap. Consult. de Usuris. Fagnan. in d. cap. Naviganti num. 46. & 47. eod.* Sed talis spes est in Francisco venditore tritici, cujus valor si augeatur, exacturus est non pretium tritici; sed ipsum triticum, ut aliquid ultra pretium habeat. Ergo Usurarius censetur.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX

Hanc opinionem amplexatur Curia Episcopalis. Primò, quia fortiora sunt hæc ultima argumenta. Secundò, nam in foro fori promptiores esse debemus ad absolvendum, quam ad condemnandum; at in foro poli totum contrarium fieri debet, & ad evitandum salutis æternæ periculum, dubia in duriorē partem sunt interpretanda. *S. Th. 2. 2. q. 60. art. 4. Gloss. in cap. Unico, in Verb. Estimare. De Scrutinio in ord. facien. Tertiò, quia si res vendatur credita pecunia usque ad certum tempus, æstimatio rei est de Jure facienda tempore solutionis. l. Vinum. 22. ff. Si cert. per. Reginald. d. l. 25. num. 183. & Bonacina tom. 2. De Contract. disp. 3. q. 3. Punct. 3. num. 23. Quartò, quia in alternativis electio spectat de Jure ad debitorem, non ad creditorem. *Cap. In alternativis. De Reg. Jure in 6. Molin. disp. 311. num. 2. Quintò, quia sic decisum refert Diana part. 3. tractat. 6. & Misc. cap. 2. resolut. 2. Quæ in Coordinato est tom. 6. tractat. 3. resolut. 38. num. 3. à Rebello, & Villalobos, cujus Verba refert, ita dicens: Notandum est etiam cum Villalobos in summa tom. 2. tractat. 11. diff. 7. num. 3. Que no es lecito vender el trigo apreciad al precioque vale al presente, con pacto de que se pague para tal tiempo engrigo, en dinero, como mas quisiere el que le vende: porque en tal caso el que vendiendo posuit spem in tuto, esto es que assegurasu negocio, yno se pone à peligro de perder, pues ha de escoger, yel otro si. Ita ille. Et ante illum Rebellus part. 2. lib. 9. quest. 15. num. 12. In quo multi Barones, & negotiatores miserrimè decipiuntur. Hucusque Diana. Verba autem Rebelli sunt sequentia; Ex dictis etiam inferes, non licere mutuare frumentum appretiatum pretio, quod in presenti valet, solvendum tamen postea tempore inter partes constituto, vel in frumento, vel in dicto pretio, prout Mutuator maluerit. Ratio est, quia se in tuto, & debitorem in periculo ponit; forte enim frumentum plus valebit postea, & ita ex mutuo lucrum recipiet, si pretium nolit, & frumentum eligat.**

Neque refragantur Argumenta contraria.

Non Primum, Quia respondetur, quod imò Franciscus vult aliquid recipere supra sortem; quia triticum vendidit Ducatis quadraginta; & mutuum palliatum fecit in expectatione ipsorum quadraginta Ducatorum usque ad Mensem Augustum. Idèò, si valor tritici tunc creverit ultra 40. Ducatos, petendo triticum petit augmentum illius valoris ultra sortem, id est ultra Ducatos 40. quos mutuavit Antonio.

Non Secundum, Quia mutuum non consistit in tritico, quod, stante pretii firmitate, censetur venditum: sed in Ducatis 40. qui reputantur mutuo dati: quapropter Franciscus eligere, & exigere non potest ab Antonio nisi Ducatos 40. Si enim voluisset, mutuum consistere in tritico, debebat abstinere à pretio; nam in mutuo nullum pretium intervenire potest, ut advertit Leotard. *de Usur. q. 17. num. 6.*

Non Tertium, Quia locum habet, ubi triticum simpliciter sit mutuatam in Mensura absque pretio; sed in casu proposito cum initum fuerit pactum de pretio, censetur facta Venditio, cujus vigore exigere non potest amplius triticum, sed solummodò ejus pretium. *Molina disp. 311. num. 3.*

Non Quartum, Quia in obligatione remanet summa Ducatorum quadraginta, quorum solutione tollitur obligatio.

F

Non

Non Quintum. Quia procedit, ubi simplex est contractus venditionis, & ab emptore fuit solutum pretium venditori; eo enim casu, si præcesserit pactum redimendi rem venditam, poterit venditor refusione ejusdem pretii rem ipsam recuperare. Secus autem est in proposito casu; in quo Franciscus vendidit triticum, pecunia credita; & sic inivit contractum mutui in ipsa pecunia, expectando ejusdem pecuniae solutionem; unde non potest hanc relinquere, & ex pacto triticum repetere, si ejus valor creverit, cum sit contra justitiam, & in damnum Antonii.

Non Sextum. Falsum est enim, quod ex Justitia Antonius debeat quatuor modios frumenti, quandoquidem initum pretium ab initio fecit contractum transire in naturam emptionis, & venditionis; & ideo ex Justitia debetur pretium, sed non triticum; ut etiam advertit Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 14.

Non Septimum; nam locum habet quando Venditor inficit in nuda, & simplici Venditione, & expectat pretium rei venditæ; quia tunc dilatio solutionis facta est gratia emptoris. Aliter autem est; si cum venditione misceatur mutuum, ob spem majoris pretii, si crescat valor rei mutuatæ: tunc enim contractus fit usurarius; ut bene distinguendo declarat Reginald. d. lib. 25. num. 186.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Disputatur, ac deciditur famosa, sed difficilis Quæstio, Ad quem spectet augmentum, vel decrementum monetæ mutuatæ, si ante restitutionem mutui valor Monetæ augeatur, vel minuatur?

SUMMARIUM.

1. Jurisperiti sapè à Theologis dissentiunt.
2. Pecunia valor attendendus.
3. Moneta valor crescit, & decrescit domino.
4. Valor rei mutuatæ quo tempore attendendus?
5. Usura est recipere aliquid ultra sortem.
6. Mensura steriorum si augeatur, quomodo sit restituendum frumentum antea mutuatum?
7. Interpretatio indubii sit contra creditorem.
8. Pensio quomodo solvenda quoad valorem monetæ?
9. Reddendum in mutuo, quantum fuit acceptum.
10. Aequalitas est objectum justitiæ.
11. Frumenti pretio aucto eadem quantitas frumenti est reddenda.
12. Pretium consideratur tantum in emptione, & venditione.
13. Benefaciens aliis non debet ab eis reportare damnum.
14. Valor rerum augetur, aucto pecunia valore.
15. Par debet esse ratio lucri, & damni.
16. Pecunia decrementum spectat ad creditorem.
17. Mutuator non debet esse deterius conditionis, quam mutuatarius, nec vice versa.
18. Debitum solvi potest in quacunque moneta.
19. Argumentum valet à simili.
20. Pensionarius sentit damnum, vel commodum Ducati aurei de Camera, si ejus valor crescat, decrescat, & num. 31.
21. Moneta augmenti, vel decrementi, quæstio difficilis.
22. Moneta usus quando incipit?

23. Moneta bonitas vel intrinseca, vel extrinseca.
24. Pactum ut eadem moneta restituatur, quo ad bonitatem intrinsecam, & extrinsecam an sit licitum?
25. Pactum etiam tantum de restituenda moneta ad eundem valorem servandum.
26. Mora in restituenda pecunia cui noceat, an profit?
27. Moneta bonitas intrinseca si mutetur, cui illa noceat?
28. Monetam ronsam non teneretur creditor accipere.
29. Pactum de restituenda moneta in eadem specie, & numero cui profit?
30. Mutuata pecunia absque alio pacto augmenti valoris, quando sit restituenda?
32. Capta S. Montis Padua cedit augmentum, seu detrimentum valoris monetæ depositatæ in ea.
33. Dotes Monialium Padua deponuntur in Capta S. Montis in sacculo obsignato publico sigillo.
34. Zecchini centum mutuo recepti, sunt restituendi numero centum.
35. Eos est dictio relativa repetens præcedentes qualitates.
36. Moneta non est ens rationis, sed ens reale.
37. Bona nostra sunt, quæ nobis debentur.
38. Pecunia quantitas, an qualitas sit in obligatione inspicienda.
39. Pecunia mutuata in specie restituendum est augmentum.
40. Augmentum mensura steriorum spectat ad debitorem.
41. Verisimile quod est, attendi debet.
42. Moneta bonitas intrinseca si mutetur, est compensanda.

Petrus petit, & obtinet mutuo centum Zecchinos ab Andrea, eos post annum restitutus: & valet libris viginti pro unoquoque. Completo anno valor Zecchini ascendit ad libras viginti duas, Petrus vult restituere libras duas mille in Zecchimis 91. Andreas vult Zecchinos numero centum. Quæritur, an Andreas jure velit?

Scribit Eminentissim. Card. de Lugo de Just. & Jur. disput. 25. num. 124. in hac facti specie Jurisperitos dissentire à Theologis; idemque ego reperi in sexcentis circiter manuscriptis opinionibus, juxta numerum studioforum hujus Diocesis, ad me transmissis. Siquidem Juris utriusque Laurea condecorati scripserunt, Andream jure velle. Theologi verò contrarium affirmarunt.

Theologorum argumenta præcipua, quibus Andream mutuatoris instantiam de injustitia, & Usura condemnant, sunt sequentia.

Primo. Quod principaliter est attendendum circa pecuniam, est illius valor. Toletus lib. 4. cap. 34. num. 2. Rebell. de oblig. Just. lib. 8. quæst. 1. n. 111. & Geminian. conf. 137. in prin. Siquidem substantia pecuniæ verè, & propriè non censetur pendere à materia, sed à valore. Bassus Verb. Usura num. 8. 9. & 10. Molin. de contract. disput. 312. num. 2. Hinc Doctores dicere solent, pecuniam esse quid artificiale constans ex auctoritate, à qua habet æstimationem. DD. in l. 1. ff. de Contrahen. emp. Paul. Rubens in annotat. ad Rotam Rom. par. 9. recent. decis. 67. n. 23. Sed Petrus restituendo libras duas mille restituit totum valorem, & summam, quam habuit, ab Andrea. Ergo totam pecuniam restituit.

Secundum